TECHE UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. P_MSS_0759

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache Latine

758
a
771

759

De Iulio Carnico Nunc Zuglio
in Carnis Forojuliuliensibus

DISERTAZIO
IOHANNIS IOSEPH
LIRVTI
DE VILLAFREDA.

185

165

Ioannes Joseph Liruti
De Villafredda Natalis F.
D. BASILIO ASQUINO
Clerico Regulari S. P.
S. P. D.

issertaziunculas quasdam ad antiquam nostram Forojulien-sem historiam pro viribus illustrandam adornare jam pridem decreveram, ne ociosam omnino aetatem agerem; & ut, si quid notitiae priscorum temporum diligentia, & studio asse-cutus sim, id omne patriae nostrae honori, & dignitati assevendo tribuerem. Aquileja, & Civitas Forijulii cum Concordia binas jam acceperunt; tertia haec Julio Carnico dicata est. Ut illas amicis, & eruditis Clarissimis Viris nuncuparem, meum in illos studium, amor, & observantia impulere: hujusmodi studium, amor, & observantia, quibus Te optime de me, deque Litteris nostris meritum jure prose-quor; ac in studiis par, eademque voluntas, ut hanc tertiam nomini tuo inscriberem, adegere. Id autem cum Tibi, & illis honoris caussa de-latum volo, tum mihi eadem via consultum cupio: exinde enim Vestri No-minis gratia accessionem aliquam rerum mearum exilitati auguror. Diserti-unculam hanc praeterea argumenti novitas commendavit fortasse; a vi-ris namque doctis pauca admodum de Julio Carnico usque nunc prolata fuere, & hoc argumentum ab eis vix summis labris obiter delibatum est. Mea cura & studio Urbs haec nullibi apparens, defossa, ut mihi videtur evumpet, situm, originem, vel instaurationem suam in lucem spec-tandam exhibens. Municipii Romana Civitate cum jure Suffragii prae-diti a primis saltem Romanae Monarchiae incunabulis, dignitas in ea manifeste deprehendetur; a Romanis Colonis jure latii, vel latinis quo Reipublicae quoque eam inhabitatam lapides ipsi loquentur; ampli-tudo ejus denique pro alpinae illius positionis modo magnificentiaque Romana Civitate digna in lucem prodibit. Cum locum, quem in Eccle-siastica politia haec Urbs habuerit, attigerim; quo facto deinceps, quove tempore, & a quibus hostibus ultimam sit perpessa devastationem expli-care, & e tenebris educere conabor. Rationes propositi mei accepisti, Vir

doctis-

doctissimæ, atque humanissime: tuum esto inde judicium cum paginas hasce pervolveris, an fidem meam utcumque liberarim. Interim, ut hoc officium meum pro meq in Te voluntatis, atque observantiq testimonio accipias velim; pluraque, & majora, si vires animo pares adessent, me Tui caussa prestaturum fore, ut credas postulo. Vale.

Villafredda. VII. Idus Februarias.
CIↃIↃCCXL.

BASILIUS ASQUINUS
IOHANNI IOSEPH LIRUTI
De Villafredda Natalis F.
S. P. D.

DIssertationem tuam de Iulio Carnico, quam mihi perhumaniter, Vir clarissime, dicatam voluisti, non tantum legi, verum etiam excripsi; ratus male ~~male~~ mihi actum iri, si rem, quam admodum miror, maximique pendo missam facerem, quin meam prius quoquo modo in potestatem redigerem: quod si moleste id me fecisse feras, spolia Te invito parta quamvis egre tamen dimittam. Multa sane in hac tua doctissima, atque omni ex parte absolutissima lucubratione venirent laudanda; sed pudori modestiq tuq consulens prætereunda mihi esse duxi; non nescius Docto, Prudentique Vivo ingestas studiose laudes, quamquam meritas, plus fastidii, quam voluptatis esse allaturas. Gratulor tamen mihi, totiq Forijulensium, immo universq litteratorum Reipublicæ, Municipium nostris in Alpibus a C. Cæsare conditum, vel auctum, Romana civitate donatum, & a Colonis ejusdem Gentis, vel saltem Latinis inhabitatum, cura, studioque tuo redemptum non tantum a ruderibus verum etiam ab ipsa oblivione ita restitutum, ut nulli jam liceat deinceps in dubium vertere illud stetisse: nam talibus argumentis, conjecturisque ab Historicis, immo, & ut plurimum a marmoribus ipsis petitis; quæ nec pauca nec parvi momenti in rem tuam collegisti; Municipium hoc tuum suffulcis, ut non solum illud credere necesse sit, sed etiam ejus vias ambulare, inspectare Mœnia, Aquæ ductus, Signa, Columnas

nas, immo, ut ita dicam, cum Erbonciis, Rutenciis, Considiis, Retinaciis, Mariis, Rutiliis, Quinctiliis, Cornelliis, aliisque pluribus Togatis Viris ejusdem Municipii nobis colloqui videar: ex quibus etiam alios Duumvivos, alios Decuriones, aut Vicomagistros per Te nobis est datum cognoscere. Utinam tuas observationes Tibi non hausisset ulterius proferre: nam tantam Civitatem, tot tantisque Romanis prærogativis, immo sequenti propius quo Episcopali etiam dignitate fulgentem, dirutam, subversam, et in nihilum fere adductam adhuc superstitem haberemus, & nequaquam tantum in votis. Sed quo magis labor industriaque tua in hac Dissertatione eluet, quam publici juris speramus, & posimus cum ceteris tuis vigiliis, quas multas audimus, & hinc pares non dubitamus; eo cumulatius Tibi gratias rependimus, quod scilicet Operi tam luculento, erudito, & vere latino nomen nostrum minus quam mediocre placuit inscribere. Vale.

Utino IV. Idus Junias CIↃIↃCCXL

DE JULIO CARNICO
nunc Zuglio in Carnis Forojulienſibus
DISSERTATIO

Quam provinciam adhuc ex nostratibus eruditis, qui Forojulienſia Hiſpania, & antiqua rudera ac aliquid suis Romanorum temporum nostræ Historiæ asserendum perscrutari curavunt, vel nullus est ingressus, vel vix degustato nomine abiit; in eam, quoad ingenioli mei licebit omnifariam, & quacumque penetrare in animum induxi. Ut autem id non omnino impudenter, oscitanterque præstarem, locum antea occultis subjeci, quem Julii Carnici fama, et vox terrigenarum, a priscis eorum decessoribus repetita, in Zulio agnovit, et agnoscit; ut contatis inde, quæ in Romanis scriptoribus de Julio hoc nobis sunt reliqua, cum Zulii positione, et situ, Carnicum hoc Julium ubi fuerit, quæ ejus Urbis reliquiæ nobis restent, quantaque ejus fuerit vel ab origine dignitas, vel tempore procedente accessio ei facta sit, non inconsulto asseratur.

Quintilianus eguidem Hermacoras, Civis Julmetii, in suo MS. libello de Antiquitatibus Carniæ, qui circumfertur, annis ab hinc ducentis

centis patriæ suæ vetera perscrutatus est monumenta; sed genio suo indulgens, et ætati illi morem gerens (quamvis non omnino barbaro eloquio) plura extra scriptionem suam admisit de hoc Julio præsertim, quæ a fide historica prorsus abhorrent; illud cum Forojulio miscens, et confundens, ipsisque, ipsique quod Forijulii proprium ex Paulo Diac. et aliis omnes agnoscunt, perperam tribuens; quæque inscriptiones, et alia monumenta Julio suo laudem, et decus peperissent prætermittens. Quod ille igitur inconsulto hac de re omisit vel fide fallente invertit, id nunc afferre (forte minus invitis musis) tentabo: prius tamen regionis illius alpinæ, quæ Carnia nunc appellatur positio explicabitur, et Julii, quod nunc Julii locum occupare creditur, situs describetur; ut exinde ad antiquam Julii Carnici positionem indagandam proniùs perducamur.

Ubi ad Alpium radices Septentrionem versus provinciæ nostræ Forojuliensis ager terminantur, segue in erumpentis in planitiem Tiliaventi commodum Alpes ipsæ in portam quasi ad Ventionum oppidum diducuntur; ibi in quatuor distincta Valles, quæ summa usque ad Alpium juga per millia passuum circiter triginta progrediuntur provinciæ illa incipit, de qua nunc sermo est; quæque cum Ducatus noster sub Langobardis vigebat, ut et nunc Carnia appellabatur, pars nostri Forojulii. Regionem hanc ad politicum regimen dividere, natura ipsa docuit: ut enim hæc in quatuor partes quatuor Valles scilicet montibus in confinium surgentibus eam sejunxit, ita omnes ad civiles exercendas, et subeundas functiones, et ad æquum dispositum regimen capescendum in quatuor, ut ajunt, Quarterios est divisa; uni ut respondeat capiti, et principi oppido Tulmetio: Quibus idem nominis, ac Vallibus ipsis a viis vel castris frequentioribus inditum servatum voluit. Prima ad orientem solem Vallis est Incaroj, quam Clariso flumen interfluit, quæque a vico ejusdem nominis appellationem sumit: extrema occidentem versus est Subdivii, cui a Tiliavento fluvio alluto oppidum quondam, seu castrum munitum admodum ejusdem nominis vocabulum dedit: tertia a vico appellatur Gorti

et

et a Decano flumine intersecatur: quarta denique a S. Petri Ecclesia Collegiata, quæ vico Julio superest imposita, denominationem accepit, et Buthis fluvius mediam hanc Vallem percurrit. Et hæ duæ Valles a duabus, quas primas recensuimus, mediæ comprehenduntur. In hac regione sexaginta supra centum, et amplius vici frequentiores numerantur, qui antiquioribus temporibus, quatuor et viginti Castris suberant; quæ hac illacque ad regionem ab hostium Sclavorum incursionibus tutandam post Julii Carnici eversionem fuerant in tumulis excitata. Sed hi per Patriarchas tunc provinciæ Principes ob eorum Dynastarum superbas tyrannides, et iteratas defectiones funditus armata manu exuris; Patriarcharum eorundem beneficio Tulmetii oppido; quod, ut illa fert regio, frequentia populi, mœnibus, et civium nobilitate Urbis nomen sibi vindicare posset, quodque a Julio quinque tantum millibus passuum, in eadem valle positum, distat; in ditionem, et imperium regio hæc omnis concessit

An regionem hanc priscis ante Romam conditam temporibus gens aliqua incoluerit; et an Hetrusci illi, quos scimus per Liv. lib. 5. c. 33. ex Transpadana Italia a Gallis pulsos Alpes incolendas occupasse huc usque progressi sint; quamvis Carni nostri consanguinei sint Rœtis (Strab. Geogr. lib. 7.) quibus Livius loc. cit. Hetruscam originem tribuit nuncupationemque habeant antiquissimam, et tempori mythico parem et a ceteris alpium Juliarum populis, qui in orientem vergunt, voce, industria, et moribus prorsus dissimiles sint, nec aliorum rusticam barbariem præseferant; affirmare tamen non audeo: deficientibus præsertim marmoreis antiquitatem inconcusse asserentibus, monumentis, a quibus nomen aliquod ad Hetruscam vocem deflectens adsit, quod ad rem habi, et ut fit, ad genium detorqueri possit. Pro certo tamen asserendum est, has Alpium altissimarum Valles populum hunc, Romana vigente Republica, tenuisse; propterea quod pluribus in locis et Hermacore supra laudati ætate ut ipse testatur lib. 2 ant. Carn. et posterioribus ætatibus in lucem e terra emersere Romana numismata Consularia, ænea, argentea et aurea; quæ ante Imperium cudebantur, et in usu erant publico; et in diem quoque suffodiuntur. Sed aliunde nulla certior fides haberi potest, quam a Romanis inscriptis lapidibus, et ab aliis Romanæ antiquitatis

tatis, et magnificentiæ, statuarum, et ornamentorum architectonicorum fragmentis, quæ in vico Julio conspiciuntur, et quotidie terram ad septem pedes, vel paulo minus in profundum scrutantibus apparent: hæ etenim aperte Romanis notam regionem, immo a Rômanis dominatis et Romanis Colonis honestatem aperte demonstrant. Præterea nunc latinis vocabulis nuncupatos Vicos plures, in quibus, et Fabios, et Ardeam, et Formias, pluraque alia e Latio petita nomina agnoscuntur, quæ adhuc in hac regione vigent, paullulum ad indigenarum linguæ usum inversa; a quibus non hariolari (nominum omonimia suadente, quæ quandoque falli et fallere potest) sed pro certo habere cogimur, non aliunde ea illuc transducta vocabula fuisse quam e Romana dictione et a Romanis equidem ipsis, qui provinciæ denominabantur, et curam eam frequentiorem, et populosiorem reddendi sibi imposuere. Sed Julium Carnicum in vico Julii inquiramus: hinc enim plusquam quod aliunde ei asserere possumus, dignitatis, et splendoris huic regioni accedet; cum Romanos Auctores, et Colonos in hac ejus Urbe deprehenderimus.

Aliqua hujus civitatis mentio, quæ latinis in Geographis occurit non minimam ejus inter Romani Imperii civitates dignitatem fuisse innuit. Plinius enim Hist. nat. lib. 3. c. 19. cum decimam Italiæ regionem pervurrit, et Forojuliensis cognomine Transpadanos recenset, nostram scilicet ais alpes Forojuliensem provinciam (quam hac appellatione, ab urbe Forojulio accepta, ubi æpisse ab hinc existimandum est) Julienses quoque Carnorum in Italia, et in hac eadem regione collocat; procul dubio Julii Carnici incolas et regionis ejus populum, qui Urbi illi erat additus, significans. Ptolomeus (Geogr. lib. 2. c. 14.) vero hanc urbem non omnino Italiæ concedit, sed illi inter Italiam, et Noricum locum facit: μεταξὺ Ἰταλίας καὶ Νωρικοῦ Ἰούλιον Κάρνικον quasi vel uni, vel alteri provinciæ ut libitum esset, hæc Urbs foret tradenda. Quod perperam; cum certis finibus Italia a Norico, et a dictione Romana accepta, et a natura ipsa alpium summarum jugis discriminaretur. At cum Ptolomeus se dubium fateatur, ubi Julium tribuerit provinciæ, nobis quod quærimus, nolens quasi, vel aliud agens, optime ostendit: hanc nempe Urbem extremos penes fines italiæ, qua Norico, sive Germaniæ conjungitur, sitam fuisse; ideoque

que

que intra alpes, et ab iis summis in Italiam conversis. Quod probe Julii nostri positioni, et loco convenit cum per eum tractum ad mille passuum triginta, et amplius, nulla antiquæ urbis rudera, vel vestigia alibi, quam in Zulio appareant. Sed ab Itinerario quod Antonino adscribitur res ut mihi videtur, extra controversiam sistitur, et digito locus Julii indigitatur; cum ibi (pag. mihi 172. terg.) iter ab Aquileja per compendium Veldidenam describitur; iter, videlicet, sive compendiaria, et brevior via a nostra Urbe Aquileja quæ in littore maris nostri Adriatici adhuc jacet, ad Oenipontem vulgo Inspruh vel Vittahim, quam Veldidenam fuisse mille passus ab Oeniponte in Rhaetia antiqua, nunc in Tyrolis Comitatu, Ferrarius, et Baudrantius in suis Geographicis affirmant. Discendentes namque Aquileja viatores Itinerarium per millia passuum triginta prosequitur ad Tricesimum, quod Castrum ab Aquileja tantumdem distans, in via quæ Germaniam ducit, eadem penitus appellatione, binis passuum millibus a Villafredda quotidie oculis meis subest; hinc tantumdem iter emensis recta Julium Carnicum pervenitur quod a Tricesimo ad Zulium adamussim convenit si ea de distantia passuum millia demas quibus antiqua Romana mensura a nostra hodierna superatur. Inde post millia passuum sexdecim Lancium petitur, quod Liencz nunc a laudatis Lexicographis, et Volfango Latio vocari in Norico perhibetur, quodque ex Carneorum mercatorum affirmatione eandem habere habita proportione, a Zulio distantiam pro certo tenemus.

Ex quibus proculdubio compertum, et manifestum fit, Zulii positionem eandem prorsus fuisse quam antiqui Romani Geographi, et Itinerarium tributam volunt Julio Carnico; ita ut quamvis nulla ibidem Romanæ antiquitatis monumenta, et reliquiæ intuerentur; quod ineluctabile argumentum in antiquis semper habitum fuit; adhuc tamen Julium ibidem fuisse esset pro certo affirmandum. Nec ullum hac de re dubitationi aut hæsitationi locum facere potest auctoritas Caroli Stephani in Lexico, qui illud nunc Villach in Carinthia appellari gratis affirmat; aut Leandri Alberti, qui id esse Goritiam ingratiis autumat; cum uterque conjecturis tantum, nullo

to valido argumento innixus, id pronunciet. Et presertim cum adhuc in Julii Ecclesia S. Petri Capitolum, quamvis tenue, octo Canonicorum cum suo Prepposito vigeat, cujus mentio in chartis XII. et XIII. Seculi non semel occurit; quod meherclde ejus, quod priscis seculis Episcopo Juliensi circumstare solebat, existimatur, et sunt reliquiæ. Calculum suum proposito nostro doctiss. Cellarius (Notit. Orb. antiq. lib. 2. c. 9. sect. 1 n. 145.) in Tabula Galliæ Cisalpinæ XII. et in Norici Tab. IX quoque adjicit; qui laudatis Romanis Geographis prænonstrantibus id enucleate prestitit eundem locum Julio nostro adsignans, quam Julium obtinet, intra Alpes scilicet et ad Butis flumen, quod paullo subtus a Tiliamento excipitur, eandemque quasi a Tricesimo distantiam servans; qui Julio situs idem est.

At Julio, non Julii positio tantum, et locus optime coheret, sed nominis quoque vestigia antiqui manifesto in ea appellatione deprehenduntur. Sæpe enim et in aliis locorum Forojulensium vocabulis eadem inversione utimur, lingua nostra patria id faciente; quæ cum plures voces a Francis cum Imperio, quod quondam subire coacta est, arripuerit, accentum quoque, sive vocalionem Francorum passa est, et adhuc retinet; et in J., quam longam dicimus, præsertim; in qua eandem Franciam pronunciationem perpetuo servamus, quam Italica lingua Z. litteræ sono profarre commodum arbitrata est. Sic Julianum seu Zuglianum, quod Julianum; Julium seu Zuglium, quod Julium et Zelia, sive Zeglia, quæ Julia Valles in Norico, de qua inferius redibit sermo, appellantur. Locum igitur non solum, sed et nuncupationem Julii, quamvis paullulum ad regionis loquutionem detortam, in Julio agnoscimus: exinde quæ ad ejus originem et auctores e tenebris eruendos; quæ ad ejus statum, et dignitatem conjecturis assequendam; quæque ad ejus excidia, et devastatione divinari possunt, pro viribus persequentes procedamus.

Ansam originis Urbis hujus longius derivandæ præbere videtur Enricus Palladius rerum Forojul. lib. II. et III. dum Carni populi originem ab Hetruscis cum Annio Viterbiensi trahit;

immo

immo eum partem, vel unam ex Hetruscis gentibus, quę a Grano noto Tuscorum rege nomen mutuaverit, faut; nostrosque ex iisdem Hetruscis esse, quos Galli intra alpes pepulere, quique adhuc priscam appellationem Carnorum servent, a quibus oppido huic ea in regione tunc condito, propriam indiderint nuncupationem, quę circumstanti tractui participata perpetuo in usu manserit. Sed cum hęc commenta Annio, et quibus belle arridant, jam amandaverimus, Strabonis auctoritatem (Geogr. lib. 4.) amplectentes, qui majorem alpium partem incultam, et sylvestrem latronibus raris tantum fuisse inhabitatam, antequam Romani rerum potirentur, affirmat, nos ad Romana tempora perscrutationes nostras revocabimus; certiora et fide digna cooptantes, fabulasque curiosis magis, et doctioribus, qui eis ad historię veritatem fulciendam scite usuri sint relinquentes.

Julii nomen ipsum, quod huic urbi viguit, et viget, affatim nobis ejus conditorem, vel saltem restauratorem ex Julia Romana gente fuisse ostendit, cumque Colonias in orbe plurimas, et binas in Forojuliensi provincia, appellationem eandem pręseferentes, Doctorum omnium calculis, vel a C. Julio Cesare, vel ab Augusto in Juliam gentem adoptato, eam nuncupationem accepisse sit in confesso; id etiam nos de hoc Julio sentire consentaneum est. Ab utro autem ei tributa sit, cum parum ętatis inter utrumque intercesserit, parum quoque interesse videtur: sed veritatem propius attigisse cuique in pretio esse debet. Nostrates scriptores omnes cum externis, qui Julii Carnici mentionem fecerunt (quibus calculum quoque adjecit Philip. a Turre de Col. Forojul. p. 326. omnes uno ore C. Julium Cęsarem hujus Urbis vel conditorem, vel instauratorem confitentur; nec injuria, ut quidem existimo immo potiori conjectura, et Cęsaris ejusdem gestis in id conniventibus. Nota est ea, et insignis inscriptio et ab Hermacora, Valvasono, Sabellico, Palladio, et aliis vulgata, qua Julius Cęsar se viam supra laudatam militarem, quę ab Aquileja Loncium, et Veldidenam per Julium Carnicum ducebat, stravisse, vel aperuisse memorię prodidit. Et si adhuc staret via hęc, nec omnino sentibus, vepribusque, et opaco nemorum altissimorum difficillimo tractu obruta oculos hominum etiam curiosiores, et diligentiores fugeret ita ut nullus lapidis illius index inveniri queat; hisce egomet oculis eam hausissem, dum illuc in id incumbens bis progressus essem. Sed cum hanc inscrip=

inscriptionem in archetypo tot difficultates intuen contenderint; quam a Sacerdote, qui eam in montis ambagibus forte fortuna legisse mihi asseveravit, quique omni suspicione veridicus carebat, licet parum ab edita discrepantem, prout accepi, adfevam.

HANC. VIAM. INVIAM
JVL. CÆSAR
FECIT. ESSE. ROTABILEM

Quamvis autem hanc invenire, aut conspicere nequiverim, nullus tamen dubito illam, vel hisce verbis, vel quibus ab aliis prolata fuit, insculptam fuisse, et adhuc stare in immani montis illius, qui a Cruce appellatur, sinu inter opacas altissimas abetes, et pinus, intergue ingentia saxa delitescentem, cum presertim tot de ipsius veritate testes sint, quot editores. Et Sex. Rufum preterea assertorem habeamus, qui sub Iulio, et Octavio Cæsaribus per Alpes Julias inter factum testatur. Quapropter Sabellici de Vetust. Aq. lib. 2. in fin. amplectenda videtur conjectura, hac via usum Julium Cæsarem cum legiones duas, quas conscripserat, et tres quæ circum Aquileiam hyemabant, in ulteriorem Galliam duxit: qua proximum enim erat iter per alpes (ut ipse ait lib. 1 Com. de Bel. Gal.) cum his quinque legionibus ire contendit. Non enim hac per Julias alpes via ulla compendiosior ab Aquileja in Helvetios, in quos bellum parabat Cæsar, teste Antonini itineraria, inveniri poterat, ut Geografica quoque intuentibus plane constabit. Immo hanc per alpes Julias Cæsarem tunc ad legiones celeriter transducendas appenuisse viam a verosimili non abhorret tum ex fide alatæ inscriptionis, tum quia Valli, quæ a laudato Cruce monte initium sumit, et in Norium longe protenditur; per quam via, quæ ab Aquileja per Julium Carnicum ultra montes Valdidenam tendit, providit; Juliæ quoque appellatio manet, quam alia occasione a nullo gentis Juliæ Imperatore arripere potuisse, Romana historia nos docet. Tunc etenim Julio Cæsari, Proconsuli in Galliis agenti, opus hoc perficere ex sui muneris imperio in sua provincia licuit, celeritate, qua opus habebat, et illius propria, ac peculiaris fuit, exigante; exemplo fortasse ab illis

Gallis

Gallis sumpto, qui (ut inquit Liv. lib. 39.) per saltus ignotę antea vię in Italiam transgressi oppidum in agro, qui nunc Aquilejensis est, ędificabant; quique viam hanc in agrum Aquilejensem, non antea ab aliqua ejus nationis gente calcatam, primi aperuisse videntur, viarum aliarum celebritate, et longinquitate ab Aquilejensi provincia, et hujus commoditate id suadentibus. Cum autem Augustum Cęsarem nullam per se expeditionem in Rhętiis, aut in Norico, aut in hac regione suscepisse constat, sed eas per Duces suos, vel per Tiberium, aut Cl. Drusum perfecisse Romani scriptores testentur (Flor. lib. 4. de bel. extern. Suet. in Octav. c. 20. Horatius lib. 4. Carm. Ode 14. &c.) inter Julii patris illius gesta connumerandum est, quod hanc viam militarem munierit, quod Julię Valli, et nostro Julio nomen dederit, et quod Forojulio etiam nostro municipationem, et Fori conventum tributum voluerit, cum Paulo Diac. de Gest. Lang. lib. 2. c. 14. affirmandum est. Cum presertim ipse per decennium huic prefuerit provinciæ, legiones ibidem per se conscripserit, conventus egerit, et ab Aquileja legiones hiemantes in Helvetios duxerit. Nulli igitur, nisi Julio Cęsari restauratio, aut municipio, vel origo Julii nostri adscribenda est. Et equidem ratio omnis politica a Proconsule Cęsare requirebat, ut in id loci oppidum aliquod, statioque militari viæ jam ab ipso vel apertę, vel stratę firmaret, vel sisteret; cum ab Aquileja hanc ingredientibus viam post alpium ingressum nullum per mille passuum supra quinquaginta adstaret diversorium; sed continua solitudine inter horrida montium, et sylvarum ferarumque latibula iter esset carpiendum, quin solatii, et requiei locus ipsis nullibi pateret. In ea igitur Valle, quę rectius, et compendiosius ultra Alpes protenditur, Julium vel restauravit, vel condidit Cęsar, qua plurimum inter illos sublimes montes Vallis ipsa in majorem latitudinem se explicans locum faciet ex ędificationi non modicę videbatur; tunc que fortasse Valli nomen suum Julium dedit oppidum, quod adhuc corrupto vocabulo eadem Vallis post summas Alpes procedens in Zellię nuncupatione retinet; cum nunc ea Vallis pars, quę in Italiam vergit, nostroque Veneto Principi subest, nomen ab Ecclesia S. Petri, quę Julio vico Collegiata, et Parochialis imminet, eadem ratione, servato scilicet in loco more, mutuata sit.

An vero Carnicum Julium inter Romanas Prefecturas, aut inter socias, et fœderatas Civitates, vel inter municipia, aut Colonias Romani Impe

Imperii ruinsitum sit, inquirendum est. Henricus noster Palladius suæ hist. lib. 4. Vicum fuisse Tullium nostrum inconsulto asserit, deceptus ab hisce marmorum fragmentis:



····· SEX. ERBONIUS. SEX. L. FRON ·····
··· REGONTIUS. PRIMI. ET GENTIL. L. IUCUN·
····· POTITIUS. T. L. PHILEMON
····· SEX. ERBONIUS SEX L PHILOGEN····
····· GAVIUS. PHILEMONIS. L. HILARI····
····· REGONTIUS. L. L. STEPHANUS
··· MULVIUS. DITIONIS. LATINÆ. SENECIO
····· GAVIUS. L. L. GRATUS
····· LARUS VETTI. T. SER
····· AGISTRI ÆDEM. HERCULIS. D. S. P
SEX. ERBONIO. SEX. L DIPHILO
····· QUINCTILIO M. L. DONATO
MAG. VICI

in quibus hujus loci Magistros Vicorum Ædes Bellini, et Herculis instaurasse, et signis conlocatis decorasse memoratur; rationemque qua ad id proferendum adductus fuit, his explicat verbis: majorem amplitudinem (quam vici) non patiente natura loci, &c. qui postea operibus auctus sine dubio oppidum dictus est. Sed dormitabat, vir alias doctus, nec animadvertit istâc Valli angustiam, qua ad Vici tantum amplitudinem semel Tullium adigebatur, ne id status ab eadem angustia perpetuo damnatus fore, ne operibus auctum in oppidum

eva-

evadere posset: dimoveri enim montes, qui vallem semel arctarunt non tam facile possunt Preterea quia vicini presidentibus suorum vicorum magistris, ades Bellino, et Herculi compserunt; non ideo Magistros vici Iulio omni presedisse, et in vicum id contrahere rationi convenit. Suos namque Vico magistros quaque Urbs regionibus, seu compitis suis imponebant, ut id in regione quaque, et vico tuendo prestaret, quod Suet. in Octav c. 30 memorat, at Romana Urbs quoque ex Augusti instituto (ut idem Suetonius fidem fecit P. Victor de Region. Urbis et litterati lapides testantur) suorum vicorum Magistros habuit, qui annis singulis (annalis enim erat hic Magistratus) e plebe cujusque vicinia seligebantur; ut etiam in Iuliensi Urbe factitatum fuisse verum est Ex illius etenim plebe libertos illos qui Magistri Vici in laudato lapide nuncupantur electos, et creatos existimandum est. Quod autem minus alicui videri posset in hujus lapidis Chronologicam notam Magistros vici libertos, et e plebe homines pro Duumviris, vel Consulibus (quibus annos signari ut ~~to~~ omnes norunt Romanis erat in more) insculptos fuisse; id nec inusitatum, nec a dignitate ~~abo~~ abhorrens profecto est Si enim vicinia vici illius, omnis ex plebeis conflata monumento operis sui notam Magistratus ex sinu suo creati, honoris gratia insculptam voluit, nil mirandum est, cum quisque honorem suis delatum potius velit, quam alienis, quamvis prequipua nobilitate previtis Ad hec quamquam Magistratus hic plebejus totus, et in electis, et in electoribus, nihilominus Magistratuum majorum insignibus amicicbatur, teste Liv. lib. 34. Ipsis enim, ut Prętoribus, et Consulibus, toge prętextę dignitas, et jus, quod in Magistratu erant, concessum erat, unde non minimum inter suos honorem, et reverentiam huic Magistratui augurari consentaneum est. Vici igitur existitatem Iulium decebat, et ut in posterum aperte eviincmus, nec Romana prętextura fuit; nullum namque Prefecturę corpus Civitatis, nec Senatus nec plebis concilium, nullus proprius Magistratus, nullę leges, et nulla judicia, quę omnia apud Prefectum, qui Roma mittebatur residebant vigentibus ibidem solis Romanis legibus; ut Liv. lib. 26. c. in. docet, ubi de Capua, eo quod ad Anibalem defecisset in Prefecturam redacta agit. Restat igitur, ut Iulium nostrum vel Municipium, vel Coloniam fuisse validis lapidibus asseramus; cum itidem inter socias, et fœderatas Populi Romani Civitates illud connumerari, alienum a vero non arbitror. Nam cum ut supra ex antiquis Geographis compertum est, Urbs hęc in Italia fuerit

Trans=

Transpadana, eam Venetiæ nostræ partem, cum nulli alii prorsus Transpadanæ regioni adscribi possit; necessario fatendum est. Et propterea cum alibi ex Polyb. lib. 2. et aliis, Venetos antiquissimos Romanorum socios, et fœderatos fuisse, ante omnes saltem Cisalpinæ provinciæ populos, demonstratum sit, Julienses hos quoque fœderatos sociosque Romanorum primævos fuisse par est credere.

Convenit inter omnes A. Gel. noc. Attic. lib. 16. c. 13. et Festo pompejo antesignanis, eam Urbem in Romano Imperio jure Municipii gavisam fuisse, quæ propriis legibus, propriis Magistratibus, et curia, sive Senatu suo prædita, civitatis Romanæ munera capessendæ ~~causa~~ causa particeps esse poterat; iisque plerumque supremus Duumvirorum erat Magistratus. Hunc Magistratum Carnico Julio fuisse palam fecit lapis in Julio cum aliis circa annum 1640. Dominici Ruzini Veneti Prætoris jussu defossus, quem Henricus Palladius lib. 4 pag. 69. suæ historiæ mancum, et acephalum profert quemque ego a Julio translatum Utinum nunc in ædibus Comitum Caisellorum prostantem, ita adamussim descripsi:



Præter nostræ Urbis Duumvirum ex hac inscriptione gentem Romanam Retinatiam in plures dissectam familias Julii incolentem nosimus. Et proptera jamdiu ante Julii Cæsaris ætatem Romanos incolas hujus Urbis fuisse cum non injuria suspicari possit, C Retinacio hunc titulum ex illius jussu positum ea ætate lapidi fuisse insculptum, qua cognomina superiorum nominibus sunt coepta. Duumvir enim Cajus caret ~~omni~~ cognomine (quod antiquitatis ornamig apud eruditos argumentum est) Lucio autem (nisi cognomen affigi-

tur

tur. Sed antiquissimos Julii incolas Romanos fuisse, etatemque Cæsaris præcessisse bina alia inscriptiones innuere videntur; quarum altera extat in Columnæ fragmento, a me in cujusdam Casæ ioquina descripta, altera Tulmetii ad ædes Gotardas quondam visitur in via publica, quo ex Julio transducta fuit eamque a Turre edidit ad calcem Monum. Vet. Antii:



Horum lapidum longævam antiquitatem, ut eruditi existimant, diphthongi AI. et EI. produnt, et præsertim EI. quam diphthongum antiquissimam et ejus orthographiam usque ad Ciceronis tempora servatam fuisse affirmat Noris, Cenotaph. Pisanor. Diss. 4. cap. 4. et 5. quamvis interdum etiam ad Augusti ævum pervenisse videmus; sed veterem tunc orthographiam affectantibus

lankibus lapidariis vel eorum manuductoribus. Diphtongum vero AY. pariter vetustatem redolere, ait Fabret. cap. 5. Inscript. XVI pag. 361 G. Cum enim ille eam inscriptionem qui inferioris ex caractere sive litterarum forma judicaret, illius diphthongi causa ipsam ad Claudiana tempora saltem retrahit, et monente Claudii Tiberii appellatione, quam Libertus, cujus monumentum est, gestabat.

Creabantur in Urbibus Duumviri e corpore, et curiâ, sive Senatu illarum, et Decurionum suffragiis; nec nisi Decurio prius fuerit, Duumviratum assequi nullo modo poterat; nam cautum lege erat, quod Is, qui non sit Decurio, Duumviratu, vel aliis honoribus fungi non potest; ut inquit Paull. in l. 1. honorem, 7 §. is qui. D. de Decurion. Et quidem Julio nostro suus quoque Senatus aderat, quemadmodum ex hoc lapidis frusto, quod plura Decurionum nomina servasse conjicitur, plane constat: extat in via publica, quæ medium Julium, aut Julium prætergreditur, in pariete domus cujusdam unde a me sumptum.



Hinc Cornelios, Quinctios aut Quinctilios et Erbonios non subobscure deprehendimus, et Julii incolas, at ejus Urbis inter Decuriones allectos. Hic idem forte Sex. Erbonius, civis et Decurio Julicensis Villam in provinciâ nostrâ agro habebat, ubi nunc Flaibani Vicus sedet ab Utino millia passuum duodecim. Ibidem enim, cum agricolæ muneri suo incumbentes terram culturæ gratia fodierent, lapidis lateritii frustum quod apud me servatur, emersit hujus nomen Erbonii præferens, qui Flavianus agnominatus fortasse Vico nomen, quod paulis a lingua nostra inversis servat, ut possessor imposuit.



Imperatores Augusti hanc Urbem beneficio aliquo honorasse credendum est cum hoc marmoris fragmentum alicui ex Cesaribus Julienses grati posuerint, beneficii ejusdem perpetuum monumentum, quod in loco quodam publico, Basilica videlicet Pretorio, vel curia omnium oculis propositum Senatus Decreto posuisse existimandum est extatque in memorata via parieti eidem adhærens.

Immo potius illum Imperatorem Urbem hanc adiisse, vel belli alicujus in Germania gerendi caussa, vel alia occasione, via hac nostra militari calcata, illuc divertisse dicendum è cujus accessus memoria hoc in lapide a Julianensibus insculpta posita fuit; ac quod alius amovtualis lapis ibidem effossus et inde ad plebem S. Laurentii, ut idem laudatus Hermacoras testatur, non longe deportatus nunc visitur, qui Pretoriani Veterani militis Cohortis octave titulum prefert.



Cum eos milites Prætoriani perpetui essent Augustorum corporis custodes facile in sententiam eo dum in hac Urbe Imperator cum suis moraretur, hunc Iuventium e vivis exessisse, hocque monumentum sibi poni curasse.

Si huic Urbi jus Municipii habenti proprii Magistratus, propinquæ Curiæ sive Senatus inerat proprias quoque leges, et sanctiones, consuetudinesque habuisse pro certo affirmandum est; cum præsertim propria etiam municipalia sacra exercuisse, et Deos venerasse, ex binis antelatis inscriptionibus pateat. Belinum namque, seu Belenum Deum nunquam Romani ut alibi memoratum est, coluere; proprium quæ et regionis nostræ peculiarem hunc validissimum Deum fuisse nec cum Gallis transalpinis participatum, jam divimus; quem aliunde procul dubio Julienses nostri non habuerunt, quam ab eorum, et regionis nostræ Metropoli Aquileja ubi cultum imprimis fuisse notum est. Inscriptionem hanc Belini supralaudatus Palladius loc. cit. adfert sedita ut in illa de Belino mentio nulla conspiciatur, quod incuriosi descriptoris negligentiæ vel ignorantiæ imputandum est; mihi enim rudera Julii sollicite perquirenti in ædibus Morosinis eam videre contigit, quam quamvis dimidiatam et acephalam deprehenderim, et primis, quæ apparebant literis aliquantulum exesis, has tamen legibiles certissime animadverti, et ita ut AEdem Belini inibi insculptum esse sine controversia et huic quisque vel mediocriter versatus affirmare posset. Quod autem lapis hic Belini habeat non Beleni, ut fere alii Aquilejenses inscriptiones calculum mihi videtur adjicere erectioni, quam Salmasius in notis ad Maximinos Capitolini c. 22 pag. 52 profert. Cum enim Herodiani græcus textus lib 8. c. 3. Βέλιν hunc Deum appellet, et Politianus in sua editione, et versione Belen vertat Βέλινον legendum autumat, et Belinum interpretandum: quod equidem mihi optime arridet, et hac inscriptione, ut et aliquibus nostris Aquilejensibus comprobatur. Ceterum, cum Aquilejenses sæpe in suis lapidibus græcissare videamus, idque et in hoc lapide Julienses fecisse animadvertamus, argumentum mihi non inverisimile videtur asserendi una cum Dolo et id moris ab illis Julienses arripuisse. Quod autem Apollinis, quem scimus sub hujus vocabuli involucro antiquos Venetos coluisse officium, vel attributum innuatur, proferam; at ut Iunonem (referente Arnobio advers. gent. lib 3. pag. 40) venerabantur antiqui, variis multiplicibus vocabulis in partes quasi dissectam; eam Fluvioniam, Pomonam, Ossipaginam, Februtem, Populoniam, Cinxiam, Lucinam, Caprotinam nuncupantes, et de ea una, officiis

et

et attributis per vocabula distinctis, tot Deos facientes; ita de Apolline, sive Sole tot seminerunt Deos; si Macrobio Saturnal. lib i c. 19 &c. fides adhibenda est: quot Soli officia vel attributa debere, nempe ut eidem æthnico Tabloge placet, quot pene stulta antiquitas sibi Deos conflavit. Cum autem optimi et argentei sagittarii officium adversus Pithonem (adversus corruptionem scilicet, et pestem) Apollinem implevisse finxerint; Beleni appellationem ei antiqui nostri imposuere, non inverosimiliter a Græca voce βέλος, vel potius βέλεμνον, quæ sagittam significant; eum sagittarium principem ita demonstrare, et propitium contra pestem, et coruptionem sibi habere cupientes. De Beleno qui plura, et eruditiora velit a Turre nostri dissertationem adeat, quam de hoc Deo eruditissime more suo conscripsit, et edidit; dum ego alterius Julienſium Carnorum Dei cum omni Romano orbe communi aliqua edisseram.

Ex altera supra allata inscriptione, quæ nullubi, quod sciam, nunc apparet, et eam laudato Palladio servatam debemus, Herculem Julii Ædem ædificiatam habuisse comperimus. Hunc virorum fortium, et corporis viribus valentium Deum manipem omnes norunt; cujus sacra ministrantibus Potitiis, et Pinariis ab Evandro primum institu ta sola peregrina Romulus in Romanam civitatem recepit. Herculi, (apud Fabret. cap. 9. Inscript. ai. pag. 601. G.) Corpus, sive Collegium Dendrophororum Puteolanorum; quod totum ibi ex libertis vel libertinis hominibus constasse conspicimus; signum, et epulum dedicat Addicti enim erant liberti Deo huic, ut quoq; omnis servorum natio testante Herodoto lib. 2. c. 13. templum Herculis pro servorum asylo apud Ægiptios constitutum fuisse: eadem ratione pariter, et in nostra Juliensi omnes libertos præter unum, aut alterum servum insculptos par est credere. An vero nostri hi liberti in Dendrophororum Collegium coaluerint, et eo nomine Ædem Deo suo tutellari vel instaurarint, vel excitarint de sua pecunia, cum lapis, vel descriptor nos deficiant (manum enim eum ex Palladio habemus) pro certo pronunciare non possumus. At cum sciamus corpora hæc, ut Fabrorum, ac Centonariorum in quag. fere Urbe in Romano imperio constituta fuisse, ad opus publicum, et militare præsertim promo ven-

vendum; quid vetat nos quoque Julio Collegium idem Dendrophorum asserere, cum libertos Herculi devotos hic plures habeamus, et regionem hanc Julio circumstantem omnem sylvarum opacis obumbratam, ex quibus materies Dendrophoris amplissima ad opus faciendum prę=sto foret. Hisce namque Dendrophoris; quamvis quod peculiare eorum in re lignaria ministerium vel arborea fuerit inter eruditos non conveniat; lignorum dolandorum, et machinis militaribus, vel ędificiis optandorum tamen munus quoque implevisse cum doctioribus credendum est et hos nostros saltem lignorum venditores et materiarios; quod adhuc in hujus regionis more perseverat. Julienses hos fuisse affirmemus, qui a Gotofredo ad Cod. Teod. l. i. de Cent. et Dendroph. inter eosdem Dendrophoros connumerari videntur. Si alicui autem hęc non arrideant; cum gentes alpinę et quę improbis laboribus a nativitate, et a regione quam incolunt damnatę sunt Herculi apud antiquos dicatę et devotę fuerint; ut illorum viribus et robori, quibus in suo vitę exercitio egent, propitius, favensque esset; hos nostros libertos in illa montana regione constitutos identidem ab Hercule optasse credant, demererique illum curasse, extructa illi ęde et instaurata.

Ex his, quę hucusque de Julio Carnico retulimus, plane constat hanc Urbem Municipium non incelebre fuisse, suis Magistratibus, proprio Senatu, peculiaribusque Sacris prędituum; ceteraque Municipalia jura habuisse, quę aliis tribuunt ejus juris Urbibus, quamvis monumenta, et scriptores singula indicantes non suppetant, tuto affirmare in promptu est. Illi Civitatem Romanam cum jure suffragii concessam, cum Gallię Cisalpinę, omnia a Julio Cesare data est, nulli dubium esse potest; cum et ipsam intra ejusdem Gallię terminos immo nostrę Venetię fuisse manifeste ex ejus positione, et ex antiquis Geographis demonstratum sit, qui illi in Italia et in decima ejus regione locum fecere. An vero Collonię dignitas ei sit adiudicanda; quod mecum eruditus quondam vir Florianus Morocutius, Zulii indigena, et in Batavis Castris Principi Episcopo a Consiliis, longa Epistola ibidem ad me data VII. Kal. Jan. MDCCXXXIII. securus contendebat; ingenue, more meo, fateor rem probationibus, certisque

lisque monumentis egere. Quamvis enim ad parietem domus ejusdem Morcultii in Zalio lapis hic non integer extet,

quem ibidem effossum Julienſis civis monumentum haberi æquum, et conveniens est, cumque Velinam Tribum præseferat, in eam Julienses Cives tributos existimari possit; non ideo tamen Colonos eos Romanos pronunciari debere argumentum est, sed Cives Romanos tantum cum jure suffragii, quam Civitatem, ut dictum est, a Cæsare cum cetera provincia adepti fuere. Et præterea cum hic unicus lapis ex omnibus Julienſibus Tribum Velinam præferat; non video cur Julienſi civi potius, quam Aquilejensi (in quam Tribum fuisse Aquilejenses adscriptos scitum est) dicata memoria hæc fuerit, cum ex non dissita admodum Urbe hue filium appulsum, et fato functum pater ad eum lapidem sepelisse potuerit. Non enim verisimile est, binas in eadem provincia Urbes eidem Tribui adscriptas fuisse, ut Cl. Vir Marchio Maffejus animadvertit in Veron. illustr. et inserto in hac Julio asserenda lapide alius carnicus supralaudatus nos redcat, qui Claudiam Tribum Juventio prætoriano militi assigit.

Alterum Morcultii argumentum ad Julium Coloniam, at quidem Latinam profitendam, est omonimia vicorum plurium in Valle civium hanc urbem existentium, qui eadem servant appellationes, et vocabula quibus plures fatii Urbes præditæ fuere. Fatium silicet Ameriam

riam, Velinam, Laurentum, Pontiam, Formias, Setiam, Ardeam, Gabios Nuceriam, Priolanum, Sutrium, Palustriam, et alias Urbes novit: circa Tulium autem Vici ejusdem Urbibus Sinonimi, modica depravatione ab incolarum lingua inducta sunt Amaro, in Velino, Lorenzago, in Ponzo, Formis, Sezia, Arta, Gabia, Nojarias, Priola, Sutri, Paluzia, et alii Ad hæc supralaudatam Ædis Herculi inscriptionem adjungit, in qua quidam Mulvius Vitionis latinæ memorabur. ex quibus non prorsus absre, vel Coloniam latinam fuisse Tulium deductam ante Cæsaris ætatem, vel ab hoc saltem Colonos milites e Latio conscriptos, hic in Tulii instauratione dimissos, et ut in propriis sedibus, agro illis divisio, conlocatos fuisse existimari possit.

Hujus equidem omonimiæ argumentum, nec omnino improbandum, aut parvifaciendum arbitror cum momento aliqui solidiori, et certiori, quod ad rem nostram presto foret, manum daret. Sed, ut res sunt, solam hanc, et nudam coniecturam, et vocabulorum multoties fortuitam similitudinem, et causalem conversum; quamvis hujusmodi argumento viri docti aliquando usi sint; tanti tamen ponderis esse non judico, ut iis solis innixi sufficiat. Nec Mulvius ille Vitionis latinæ, inter libertos conscriptos, militem Colonum nobis exhibere arbitror, cum ceteris libertis id non constet muneris. immo cum isti patronos referant Tullienses cives, ut uique patet; servos illos civibus illis fuisse quondam credendum est, Mulviumque, cum libertus non indigitetur, vel eorum libertorum servum, vel Ædis Herculis, et Hilari Vetti Servi socium existimare potius conveniens sit, quam Cæsaris e Latio militem.

Cum vero non unius, aut alterius nominis, quod facilius evenit; sed quod non facile accidit; duodecim, et amplius vocabulorum similitudinem non improbabilem habemus; momentum aliquod addere huic omonimiæ et Morcattii sententiæ videntur afferre pondus tot gentium Romanarum nomina, quas ex nostris lapidibus Tulii incolas agnovimus. Præter enim eas, quas adductæ inscriptiones nobis suppeditant, etiam ex afferendis non paucis earum numerus deducitur. Alii quotquot præ manibus sunt, omnes in acervabo, cum plerumque nuda nomina contineant. easque vel a scriptoribus servatas, vel adhuc in loco manentes a me descriptas, loco aut scriptore ad unamquanque compellato, proferam

Pub.

Johannes Joseph Liruti
De Villafredda Natalis F.
D. BASILIO ASQUINO
Clerico Regulari S. P.
S. P. D.

Dissertaziunculas quasdam ad antiquam nostram Forojuliensem historiam pro viribus illustrandam adornare jampridem decreveram, ne ociosam omnino aetatem agerem, & ut, si quid notitiae priscorum temporum diligentia, & studio assecutus sim, id omne patriae nostrae honori, & dignitati asserendo tribuerem. Aquileja, & Civitas Forijulii cum Concordia binas jam acceperunt; tertia haec Julio Carnico dicata est. Ut illas amicis, & eruditis Clarissimis Viris nuncuparem, meum in illos studium, amor, & observantia impulere: hujusmodi studium, amor, & observantia, quibus Te optime de me, deque litteris nostris meritum juvat prosequor; ac in studiis par, eademque voluntas, ut hanc tertiam nomini tuo inscriberem, adegere. Id autem cum Tibi, & illis honoris causa delatum volo, tum mihi eadem via consultum cupio: exinde enim Vestri Nominis gratia accessionem aliquam rerum mearum exilitati auguror. Dissertiunculam hanc praeterea argumenti novitas commendavit fortasse; a vivis namque doctis pauca admodum de Julio Carnico usque nunc prolata fuere, & hoc argumentum ab eis vix summis labris obiter delibatum est. Mea cura & studio Urbs haec nullibi apparens, defossa, ut mihi videtur erumpet, situm, originem, vel instaurationem suam in lucem spectandam exhibens. Municipii Romana Civitate cum jure Suffragii praeditii a primis saltem Romanae Monarchiae incunabulis, dignitas in ea manifeste deprehendetur: a Romanis Colonis jure Latii vel Latinii cum